

92. *Scripturá universa adstipulante, dextra Dei notat ipsam divinam gloriam ac maiestatem, potestatem omnem in cœlo & in terra; ut Matth. 26, 64. Luc. 22, 69. Dextera virtutis Dei. Hebr. 1, 3. Dextera maiestatis in excelsis Hebr. 8, 1. Dextera throni Maiestatis in cœlis Psal. 44. 4. Psal. 98, 1. & 2. Psal. 118, 16. Eph. 1, 20. & seqq.*

93. *Pari sensu Sancti Patres dextram Dei, non de loco aliquo sed de divina Maiestate & potentia accipiunt, ut Basil. lib. de Spiritu sancto: τὸ δεξιὸν οὐ τὴν χώραν δηλοῖ, ἀλλὰ τὴν πρὸς τὸ ἴσον χάριν. Et August. in Symbol. Dextram, inquit, intelligite potestatem, quam accepit homo ille, susceptus à Deo.*

94. *Sessionis termino itidem scriptura non physicam quandam notat locationem: sed virtutis, potentiae, maiestatis & gloria usum plenarium, qui ad universale Dominium Cœli & terræ pertinet.*

95. *Sessio isthæc obtigit Christo secundum humanam naturam: quippè qui secundum divinam naturam non sedet ad dextram Dei, sed est ipse DEVS.*

96. *Confirmat hoc Apostolus inquit: Pater sedere fecit Christum (in tempore) ad dextram suam in cœlestibus longè supra omnem principatum & potentiam, & virtutem*

tutem